



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XXII. Cur Horâ septimâ sanatus Reguli filius? Dominica XX. Post
Pentecosten. Heri horâ septimâ reliquit eum febris Joann. 4. v. 52.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXII.

Cur Horâ septimâ sanatus Reguli
filius?

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Heri horâ septimâ reliquit eum febris Joann.

4. V. 52.

§. 1.
Causæ cur
Regulus
inquirat in
horam sa-
nitatis.



Ur tam accuratè Re-
gulus inquirat in ho-
ram, quâ filius habe-
re meliùs cœperit,
causam dat Ammoni-
us & Maldonatus, ut
fidem suam in Christum solidaret,
solemus enim ad confirmationem
eorum, quæ credimus rationes in-
vestigare. Nec fidem solùm sed
gratitudinem quoque Regulus su-
am erga Sospitatorum exerere vole-
bat, ut deprehensâ sanitatis horâ
obligatiorem se pro tanto miraculo
profiteretur, gratus enim animus
omnibus viribus intendit cognosce-
re non tantum authorem beneficii,
sed etiam diem, horam, minutum,
ut nunquam memoria ab animo re-
cedat, sicut vicissim ingratus labo-
rat & beneficii & benefactoris me-
moriâ ex animo penitus tollere;
atque nè cogatur obligatum se fate-
ri, fingit nescio quam offensam, o-
ptâtque absentiam vel interitum
benefactoris. Ut autem majorem
exerceat regulus gratitudinem, non
est contentus in Jesum credere, sed
familiam insuper suam ad fidem
Salvatori habendam svaviter indu-
cit, ideòque interrogat *horam ab eis.*

idcirco fortè horam quæsiuit, ut &
alios præsertim domesticos suos
solidaret in fide ait Dionysius Car-
thusianus, nimis bene horam sibi
notârat regulus, quâ plenum gratia-
rum Verbum *Vivit* à Christo acce-
perat, interrogat nihilominus de fe-
licitemporis articulo, ut inde su-
mat occasionem instruendi servos,
& excellentiam Servatoris nostri
deprædicandi, quod eo affectu
præstitit, ut teste Evangelistâ credi-
derit domus ejus tota. Felix certè ho-
ra fuit, quâ filius reguli sanatur in
corpore, regulus in corde, tota do-
mus in fide. & quæ illa hora? septi-
ma. cur septima? septem breviter
causas insinuabo.

Primum quod Evangelista Jo-
annes docet per biverbium *horâ se-
ptimâ* videtur esse, quod DEUS nu-
meratos habeat, non tantum an-
nos, menses, dies, sed horas & mo-
menta, quibus nos lætari aut trista-
ri, abundare aut penuriam pati, va-
lere vult aut ægrire. Duravit fe-
bris ad horam usque septimam,
non casu, sed providentiâ divinâ.
*Constituisi terminos ejus, qui præteri-
ri non poterunt* inquit Job. c. 14. v.
5. terminos sanitatis, terminos felici-
cita-

§. 2.
Causa pri-
ma, ut cons-
stet defi-
nita habe-
re DEUM
tempora
& horas.

citatis, terminos morborum, terminos miseriarum constituit, sicut mari & elementis ceteris terminos posuit, quos excedere non possunt. ita namque DEUS ordinavit tempora, ut in rationum divinarum libro scriptum habeat non tantum quid unquam & usquam factum, sed & quid horis singulis liberè & necessariò sit futurum. eximie Paulus Atheniensibus concionatus est, & paucis verbulis multa dixit, dum DEUM distributorem esse temporum docuit: *desiniens tempora.* Quod Paulus ex libro Sap. c. 11. v. 22. addidit: *omnia in mensura & numero & pondere fecisti.* Insuper teris agit, qui calamitate nescio quâ pressus suspirat, & tantum non desperat: *hoc nimis grave est, hoc nimis longum est, hoc nimis multum est.* ò insipientissime mortalium, scit sapientia æterna, quod pondus, quis numerus, quæ mensura tibi apprimè conveniat. Et quia eadem est Sapiencia DEI, quæ Bonitas, non patietur tentari te supra id, quod potes. Incipiebat hodiernus filius mori, sed mori non potuit, necdum hora moriendi fuit, patientiam habere ò regule, dum septima audiatur. Et vos patientiam tenete afflicti quotquot estis, donec veniat hora vestra, quam novit & definivit DEUS. hæc veritas in ipso Christo quasi in speculo clarè elucet, habuit ille tempora & horas & momenta definita, quorum arenulam aut guttulam non excessit, non præterivit. Petebat Mater Domini primum abs filio miraculum, Joann. 1. v. 3. at ille v. 4. *nondum venit hora mea.* expectat videlicet momentum illud, quod ab æterno Pater præordinavit ad aquam in vinum mutandam. Sic petunt multi aquam tribulationis verti in vinum consolationis, sed respondet è cælo Christus: *nondum venit hora mea.* habet ergò

DEUS horam benefaciendi & consolandi, extra quam nihil fiet. habuit Christus horam recreationis: *in illa hora exultavit spiritu* Luc. 10. v. 21. habuit horam patientiæ Matth. 26. v. 45. *ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* *Surgite eamus,* evadere non possumus, quia hora ab initio & ante sæcula à Patre constituta præsto est. Habuit horam orationis ac desideriorum, quâ gemebat, ut si fieri posset transiret ab eo hora Marci 14. v. 34. habuit horam tentationis: *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum* Luc. 22. v. 33. habuit horam mortis Marci. 15. v. 34. *horâ nonâ exclamavit JESUS.* quoties volebant judæi interimere innocentem, sed *nondum venerat hora ejus* Joann. 7. v. 30. *necdum venerat hora ejus* Joann. 8. v. 20. venit autem anno ætatis trigesimo tertio, exacto mense tertio, tertiâ post meridiem horâ. Discamus proinde horam nobis destinam præstolari, ut simus tæque quaterque beati omnibus horis, certissimò experturi Ferdinandeæ illius tessere veritatem:

Accidit in puncto quod non speratur in anno.

Alterum quod hora septima indicat, est insigne mysterium sacri hujus numeri post septem dies, ex quo Noë in arcam ingressus est, diluvium exoritur, die septimâ Columba ex arca emittitur Gen. 7. septem colorum (ut volunt pictores arcus in signum fœderis erigitur, septem agnæ ad puteum fœderis Abrahamum inter & Abimelech initi statuuntur Gen. 21. septem annis servire pro sponsa Jacob jubetur Gen. 29. septem boves pingves, & septem spicæ fertiles fœcunditatem & frugum copiam designant Gen. 40. septem diebus azyma comedenda Ex. 12. totidem diebus

S. 3.
Causa secundum quod dicitur, quia numerus septenarius mysteriis plenus est.

R

fe

Problemata P. Philippi Hartung.

Ag. 17.
v. 26.

1. Cor. 10.
v. 13.

Deut. 16.

festum tabernaculorum celebrandum Lev. 23. septemagni & septem vituli pro peccatis immolandi Num. 28. septem dierum solennitates multoties præcipiuntur, septem crinibus fortitudo Samsonis definitur, Naamon in Jordane lavari jubetur septies 4. Reg. 5. septies intincto in passeris sanguinem digito aspergitur leprosus Num. 19. septem tubas adhibet Josue, & septies urbem circuit, ut Jericho evertatur Josue 6. v. 6. septem sunt columnæ, quibus domus Sapientiae innititur proverb. 9. v. 1. septem lucernas videt Zacharias in candelabro Tabernaculi indeficienti oleo abundantès, septem sigilla in agni libro, septem cornua agni, septem stellas in manibus Filii hominis Joannes describit.

Pythagoras dicebat septenarium esse numerum universitatis, numerum authoris naturæ, numerum sacrum ac divinum. Cujus asserti causam dat Philo lib. 1. alleg. *senario vocantur mortalia, quia dividitur senarius, septenario immortalia, quia dividi nequit.* Sapientius Cicero in somnio Scipionis: *septenarius est plenitudo rerum, quia Deus est unitas, à quo fluit senarius creaturarum, nempe angeli, elementa, mixta, inanima, bruta, homo.* Septenarius numerus Medicus est ait Tostatus, crises enim ostendit natura, si aliunde impedita & lacessita non sit die septimo, aut ejus geminatione, ex qua naturæ inclinatione docent Medici septimo quoque anno fieri aliquam in humanis corporibus inclinationem. quin & numerus septimus decies repetitus pro vitæ termino à Psalmista ponitur: *numeri annorum in ipsis septuaginta anni* Ps. 9. Magnus itaque animarum corporumque Medicus eâ horâ dispulit febres, quæ numerum medicum sonat.

Horâ septimâ reliquit eum febris. per septem horas septena Sacramenta designari existimo, per quæ septuplex animæ febris, septem videlicet peccata capitalia felicissimè persanantur. Notavit enim Doctor angelicus febrem esse septuplicem: Febris *continua* & quidem caustica seu ardens est luxuria. *Quotidiana* gula. *Tertianaria* ira. *Quartana* acedia. *Hæctica* avaritia. *Ephimera* superbia, *putrida* invidia. Contra has febres instituit Archiater noster septem Sacramenta, & quidem contra febrem continuam luxuriæ, magnum illud in Christo & Ecclesia *Matrimonii* Sacramentum; contra quotidianam gulæ sanctissimum *Altaris* sacramentum, in quo omne delectamentum svavitatis; contra Tertianam iracundiæ *Confirmationis*; contra quartanam acediæ *Ordinis*; contra febrem avaritiæ hæcticam, *extremæ unctionis*, contra febrem putridam invidiæ, *baptismi* Sacramentum, ut sicut per invidiam diaboli mors intravit, ita per baptismum diabolus sua cum invidia submergatur atque extingvatur; contra ephimeram superbiæ Sacramentum *pœnitentiæ*, & hac horâ derelinquit febris hominem, cum hic delicta sua contritus & humiliatus in aures Spiritualis Medici deponit.

Horâ septimâ reliquit eum febris. per divina quæ enumeravi Sacramenta speremus sanitatem, hæc enim nobis ut vulgo loquimur indicant, quotam sonuerit horam, quantam videlicet salutis spem concipere possimus. Habent namque Sacramenta ista voces suas, imò sunt mera vox, unde & à Psalte Ps. 28. per voces denunciantur. *Vox Domini super aquas* in baptis-
mate. *Vox Domini in Confirmationis virtute.* *Vox Domini in Eucharistiæ Magnificentia.* *Vox Domini*

§. 4.
Causa ter-
tia ut con-
notetur
numerus
Sacramen-
torum.

mini confringentis Cedros in pœnitentia. Vox Domini intercidentis flammam ignis in Matrimonio. Vox Domini concutientis desertum in Ordine. Vox Domini præparantis cervos in extrema unctiōe. En quàm sonorum tibi DEus præpararit horologium.

§. 5.
Causa
quarta,
quia eadē
horâ Regu-
lus Chri-
sto crede-
re cœpit.

Horâ septimâ reliquit eum febris. quia eadē horâ, ut vult Ammonius in catena græca, regulus credidit & obedivit; qui enim ad DEum accedit per fidem, eidēque per patientiam adhæret, & abscedit per obedientiam, næ is fructum fidei suæ ocyus consequitur. Non differt dona sua DEus, cujus dicere est facere, & promittere gratiam, est reapse conferre. Plus dat Christus donis, quàm proferat verbis, & citius dat, quàm rogetur, imò excellentius quid confert, quàm expectetur. Dixerat Christus: *filius tuus vivit*, neque addidit: *sanus est*, dicendo autem Vivit, contulit sanitatem; non distulit ut Elisæus Namamano significans: *vade lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua* 4. Reg. 5. v. 11. Sed eo ipso momento sanitate filium donavit, & vivere fecit, quo vivere eum dixit, efficax nimirum DEi verbum est, nec morulam ullam in executione operis admittit, illa nobis hora septies beata est, quâ fidere DEO ferio incipimus, constantēque eidem decernimus obedire.

§. 6.
Causa
quinta,
numerus
septimus
signat
quietem.

Horâ septimâ reliquit eum febris. Numerus septimus est quietis simul & perfectionis symbolum ait Doctor Angelicus & Hebræorum Doctissimus Philo: *septenarius numerus inquit quietis est*, quapropter septimus numerus miris à Deo privilegiis (ut adnotat Cornelius fol. 996. in Pentateuch.) est insignitus. Septimus annus libertatis erat & Sabbati terræ; septem hebdomadæ dierum Pentecosten de-

nunciabant, septem hebdomadæ annorum jubilæum adferebant. Nam Dominus ipse septimo die quievit ab universo opere, quod patrârat; *in quo significatur* (pergit Thomas) *quod vita spiritualis in quiete spirituali consistat. hæc dicit Dominus DEus, si quiescatis, salvi eritis* If. 30. v. 15. nihil æquè ad salutem conducit, quàm à negotiis sæculi tantisper quiescere, mentem componere, cor tranquillare. Habet impius cor semper inquietum, & marino æstui perfimile juxtâ illud Is. 59. v. 20. *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* hinc ex tempestate tempestas, hinc salutis naufragium, hinc omnis eaque æternatura calamitas.

Horâ septimâ reliquit eum febris. septima in judæorum horologio hora, nostram primam pomeridianam æquat, & hâc horâ juxtâ communiorem sententiam cœpit genus humanum in paradiso febrire; cœlestis itaque Medicus filio reguli, qui posteritatem Adami figurabat, eadē horâ contulit sanitatem, quâ morbum contraxerat, & mori inceperat. Quales febres contraxit Adamus? capitales fuerunt, quia videlicet caput generis nostri capitali superbiam delicto fataliter æstuavit: Suggestit hanc causam Albertus M. *horâ septimâ febris eum reliquit, eadem scilicet horâ, quâ febris genus humanum apprehendit, hoc enim factum est post meridiem* Gen. 3. v. 8. repræsentat proinde morituriens reguli filius genus humanum, quod incipit mori, cum vivere incipit. Hujus parens Adam ad JESum venit, quando in cruce pendente Salvatore calvaria Adami ad pedes Crucis jacuit, impetravitque, ut post septimum verbum descenderet beatissima Christi anima

§. 7.
Causa sexta,
quia
horâ septi-
mâ febres
Adam cō-
traxit.

anima in limbum, & vivificaret in-
teremtâ morte genus humanum.
Heri horâ septimâ. Ipse septem in
Cruce verba expirante JESU vivere
cœpimus. Solet nimirum beni-
gnissimus DEUS per idem medium
arcere malum, per quod intraverat,
sicut per scorpionum oleum sanat
morsum scorpionum, & per simila-
rum ænei serpentis morsus serpen-
tinos, & per pilos rabidi canis illata
vulnera. Cùm fama increbresceret
in terra Chanaan adventâsse immani
numero filios Israel, congregati ad-
versus hos fuere Reges omnes terræ
illius numero viginti quatuor, ut
vult Carthusianus, unde non popu-
lus modò Israël, sed & dux invictus
Josue timore concuti cœpit, cui
confortando ita loquitur Dominus:
*nè timeas eos, cras enim hâc eâdem ho-
râ tradam omnes istos vulnerandos
in conspectu tuo* Josue II. v. 6. eâdem
horâ, quâ timor, mœror, dolor in-
ferat populum, affecurat Dominus
de gladio, jubilo, triumpho, ubi en-
im timor, ibi gaudium, ubi fiducia,
ibi victoria, ubi recursus ad DEUM,
ibi triumphus. Samaritam tanta
fames presserat, ut nec prolibus
parcerent matres, ideòque Rex fu-
rore velut febrî phræneticâ in Eli-
sæum incitatus, quem mali hujus
authorem falso judicio censebat, ca-
put eidem amputari jussit, at impa-
vidus Propheta exclamat: *audite
verbum Domini: hâc dicit Domi-
nus: in tempore hoc cras, modius si-
milæ uno statere erit.* oppresserat
DEUS Samaritas fame magnâ ait A-
bulensis, & finita fuerat in hoc,
quòd duæ mulieres comederunt fi-
lium unius, ideò DEUS jam volebat
avertere iram suam & dare abun-
dantiam, & pronuntiavit hoc Elisæ-

4. Reg. 6.
v. 31.

us. in tempore hoc, scilicet in hora
istâ. Notet unusquisque horam
quâ premitur, & sciat eandem sibi
fore tẽrque quaterquo beatam.
Quin & ipsa hora septima parasce-
ves nobis perquam salutaris fuit.
horâ septimâ peccavit ut dixi A-
dam, horâ septimâ secundus Adam
paradisum nobis referavit, dum la-
troni promisit: *hodie mecum eris in
paradiso.* dixit enim hoc horâ pri-
mâ pomeridianâ, ut communiter
tradunt Sacræ Scripturæ interpre-
tes, adeòque eâdem, quâ protopa-
rens paradiso exciderat, inque fe-
bres inciderat, adhæreamus JESU
crucifixo boni exemplo latronis, e-
jusdemque clementissimam sæpius
imploremus memoriam: *Domine
memento mei in regno tuo.*

Horâ septimâ reliquit eum fe-
bris. per horam septimam D. Bo-
naventura & Hugo Cardinales ac-
cipunt septem dona Spiritus Sancti
per quæ confertur nobis remissio
peccatorum atque animæ vita, nam
Spiritus est, qui vivificat Joann. 6.
v. 64. *accipite Spiritum Sanctum, quo-
rum peccata remiseritis, remittuntur
eis* Joann. 20. v. 22. ipse enim ut
confitetur Ecclesia, est *remissio omni-
um delictorum.* Pro his donis se-
pties quotidie suspiremus, ut septi-
es oscitantes cum puerulo illo 4.
Reg. 4. v. 35. ad vitam æternam re-
spiremus. Amen.

In Emblemate Solem exhibeo
curru vectum aureo, quem pro ca-
ballis, duodecim Horæ trahunt, or-
natu & mole admodum diversæ, ex
quibus virgâ aureâ Septimam Sol
contingit: *o tẽrque quaterque beata!*
cui votum subscribo meum:

*hæc fluat, hæc re-
fluat!*

§. 8.
Causa se-
ptima quia
numerus
septimus
septem
dona Spi-
ritus S. de-
signat.

§. 9.
Emblema.



PR O-